



D. O. M. A.

DISPUTATIO POLITICA VII,

De

BONIS REGNI

Sive

REIPUBLICÆ.

In Regiâ Academiâ Christinëâ

P R Æ S I D E

Consultissimo Excellentissimoq; Viro,

M. MICHAELE O. WEXIONIO,

Polit & Hist. Prof. celeberrimo, nec non

Stip: p.t. Inspectore dexterrimo:

Respondente,

IOHANNE HEN. CURNOVIO

Biôrneburgo-Fenlando.


Publicæ ventilationi submissa ad


diem 17. Maji 1645.

Ioan: Boter: de Polit: Illust: lib. 7. c. 3.

Tam ad pacem quam ad bella plurimum conducit, ut
fiscus Principis promptâ pecuniâ sit instructus,

ABOÆ Petrus Wald/ Acad. Typog. 1645.





T H E S I S I.

Personas remp. velut membra
 constituentes, *imperantes* & *obedi-*
entes, *superiores* & *inferiores* huc usq;
 pro re natâ consideravimus: Nunc
 de *rebus* sive **BONIS**, ut status per-
 fectiùs cognoscatur, aliquid etiam
 dicendum erit. Quomodum
 enim *physicum corpus* animatum ad
 sui sustentationem alimento, ani-
 male insuper ad motionem nervis
 omninò indiget; itâ *politicum corpus*
 absq; nervis & alimento, id est, *Bonis*
 conservari & perpetuare nullatenus
 potest. Undè prudentissimi nostræ
patriæ legumlatores mox in primo ti-
 tulo ubi *Regis* simul etiam *Bonorum*,
 quæ aliàs *patrimonium regni* seu *coro-*
ne, mentionem iniiciunt. *Gall. le*
Domaine: *Germ. Cammergut*: Nobis
Svecis Upsala Sde och Konungzliche
Ingiâld dicuntur.

Tholoz. l.
3. de rep. c. 1.

Ex Liv.
Schonb.
l. 4. c. 19.

Kong. B.
L. L. c. 2.

II. *Bona hic nobis Res ad status conservationem, dignitatem ac utilitatem necessarias significant. Suntq; alia Privata alia Publica: De illorum speciebus, acquisitione, usu conservatione & augmentatione in æconomis actum: De his nunc agendi locus erit.*

III. *Rerum etiam alia corporea, quæ tangi & videri possunt, quales hic præcipuè Bonorum nomine intelliguntur: alia incorporea, quarum etiam non pauca reip. bona dici possunt; utpotè religio, jura, obligationes, fœdera, præminentia, insignia, &c. insignia enim non ipsa res corporea sunt, Leo, Aquila, coronæ sed incorporale quoddam jus & privilegium ejusmodi simulacrum præferendi & monstrandi.*

IV. *Justinianus res alias sacras, alias religiosas, alias sanctas facit, quarum omnium cura haud levis politico incumbit. Sacrae res sunt, quæ divino cultui destinatae mediata vel im-*
medi-

*mediatè eidem inserviunt: qualia tem-
 pla &c. Sacella; quorum numerum
 in nostrâ patriâ ex Botero Messen: in-
 spec: cap. 4. & R. Paulin. Hist. lib. I.
 cap. 16. recensent. Huc etiam Aca-
 demias, Gymnasia & Scholas referimus.
 Nosocomia, ptoco- & gerontotrophia sive
 Hospitalia, ubi pauperes invalidi pu-
 blico sumptu ex decimarum portio-
 ne alijsq; aluntur reditibus: Qualia
 per totum regnum juxta cathedrales
 Ecclesias & nōnullis alijs insigniorib⁹
 in locis, ut *Holmia* & *Iunecopia* anti-
 quitus optimè fundata etiamnum
 liberalissimè sustentantur. Et su-
 perioribus annis *Nosocomium Militare*
 in celeberrimo quondam *S. Birgitta*
 cœnobio *Wastenis* in sustentationem
 sauciatorum vel ætate deficientium
 militum magnificè instructum no-
 vimus.*

V. *Sacris etiam usib⁹ dedicati sunt* Mat. Steph.
Ecclesiarum libri, vasa usui Sacramento- Exeg. Jur.
rum deservientia, vestes Sacerdotales, civ. p. 2.
candelabra, campanæ &c. Quæ quo- Ord. Eccl.
 A 3 mo.

modo procuranda & conservanda,
eti & de necessariâ Pastorum habi-
tatione, quâ nimirum ratione *septem*
adificia maximè necessaria à *Parochia-*
nis instaurari debeant, *Ordinantia Ec-*
clesiastica cum antiquo etiam jure de-
cernunt. Ecclesiasticorum autem
honorum defensionem & conser-
vationem cap. 4. *Ronung. Balck. L. L.*
art. 1. & 7. specialitèr injungit.

VI. *Religiosa*, à relinquendo,
loca sepulture aliàs *Cæmeteria* q: *cubilia*
sive dormitoria dicuntur, quòd *defun-*
ctorum corpora ibi requiescant. Et ut o-
lim apud Rom. aliasq; gentes cui-
bet privato religiosum sibi locum
facere, id est, spulcreto destinare
licuit. Ita & nostri quondam ma-
jores suos ubi libuit in proprio agro
mortuos humaverunt. Quod ere-
cti subindè *lapides cum inscriptionibus*
Runicis satis evincunt. Nunc verò
juxta & in ipsis templis defunctos
quieti componere mos est. Con-
sul-

ultum tantum, ne civitates præceterim populosiores cadaveribus repleantur, extra moenia locum sepulturae destinari. Quod *Holmia* alibiq; frequentari notissimum, &c.

l. 3. de
sep. viol.

VII. Hic notandum 1. *Qui scelestam egerunt vitam ut fures, latrones alijq; facinorosi & qui mortem sibiipsis de industria consciscunt, Ecclesiasticam sepulturam in religiosa ista loca ordinariè non inferendos esse.* 2. *Funera nimio sumptu sepelienda non esse: quod nec DEO gratum, nec de mortuis proficuum; sed superstitibus damnosum.* Nudus hunc mundum ingressus: nudus etiam, assumpto tantum linteolo & asseribus aliquot egrediatur. Dignitatis tamen discrimen vel hic ostendere fas esto. 3. *Cavendum ne libitinarij & vespillones, quos mortuos esse existimant, nimis properè efferant; maxime eos qui apoplexià, morbo comitali, uterive strangulatione suffocantur.* Cùm tales sæpe vehementioribus tantum

Besol. conf.
pol. vit. &
mortis.

ecstasibus oppressi, postmodum ad
se redeant uti ex *Lev. Lemn. Colera*
alijsq; & varijs *Historijs Besoldus* dedu-
cit. 4. Sepulchrorum deniq; violato-
res qui *Hyanam sepultorum corpora*
scrutando, imitari solent, bustaq; eruunt,
severè cohibendos & coërcendos. Nec
minus qui suspensos denudant aut
tollunt.

VIII. Sanctæ res vocantur, quæ
sanctione legis hominum commercio ex-
emptæ atq; adversus hominum injurias
munitæ sunt: utll. portæ civitatum,
carcer, muri, in quorum violatores
pœna capitis statuta est.

p. 10. Inst.
de rer. div.

Ovidius
4. Fast.

*Hoc celer urget opus, quem Ro-
mulus ipse vocârat,
Sintq; celer, curæ dixerat ista
tuæ.*

*Nerve quis aut muros aut factâ
vomere fossam
Transeat; audentem talia de-
de neci.*

IX. *Bona reip.* propriè sic dicta, alia *immobilia*, qua loco moveri, ut eadem maneant, nullatenus possunt; ut *Regiones*, *provinciae*, *urbes*, *pagi*, *arces*, *villae*, *aedificia* & *termini imperij*: alia *mobilia*, qua de loco in locum facile & absq; nocumento transferri possunt; ut *pecunia*, *annona*, *instrumenta*, &c.

X. Quoad *Provincias*, quæ nunc (præter *Livoniam* & nupèr occupatas vel recuperatas) 32. numerantur, amplissimum *Svecia Gothiaq; Imperium*, & olim & nuper variè distingvi solet. Antiquitus in *ijsdem undecim regna* numerabantur; *Svecia*, *Gothia*, *Fenningia*, *Helsingia*, *Angermannia*, *Vermelandia*, *Sudermannia*, *Biarmia*, *Finmarkia*, *Iemptia* & *Seriffinnia*: ut præter *Messenium M. Ol. Pet.* testatur. Spaciosissimum etiam hunc aquilonarem orbem à *quinq; Regibus* particularibus quondam administratum fuisse, antiquissimus noster *Historiographus Ericus Upsalien-*

D. Joh. Messen.
Spec. c. 2.

Ericus Ol.
Upsal. l. 10

sis asseverat; 1. Fenningiæ, 2. Helsingiæ, 3. Sveciæ, 4. Gothiæ, 5. Vermelandiæ. *Fennos & Gothos* peculiare olim distinctos-que à *Svecis* habuisse reges, constans *Historicorum* est sententia. De *Helsingis* autem & *Vermelandis* Ol. Pet. in proœmio *Svet: Chronici* addubitare videtur, angustias fortè finium cau-
fans & subinnuens.

Gen. c. 14 XI. Verùm ex *Sacris* loca etiam
Ios. c. 12. longè strictiora proprios habuisse reges constat. Et *Helsingici* imperij terminos à flumine *Elff* per *Gestriciam*, *Helsingiam*, *Iemptiam*, *Angermaniam*, *Bothniam* in *Cajaniam* usq; ad lacum *Ula* *Trest* ultra miliaria *Smo-landica* 150. extensos fuisse sciendum. *Helsingos* etiam fortitudinis suæ monumentum ad fretum maris *Balthici* *Oeresund* *Helsingburgum* reliquisse, vel nomen ipsum, indicat: *Nylandiæ* quoq; & *Cajaniæ*, ex parte incolas suppeditasse in confesso

fessio est. Quid igitur angustia regni titulum impedire potuerit? imò & *Bohemie regnum lapides tantum 40. in long: 30. verò in lat: continere Paul. Stranskij testatur. Et in mappâ Geographicâ lanssonij miliaria circiter 60. solum longitudinis Bohem: reperiuntur. Hungaria quæ adhuc regni titulum retinet, neq; adeò spaciofa est: Et maximâ jam sui parte Turcæ & Transylvano paret. Imò & Danie regnum si proprijs constringatur cancellis arctissimum esse novimus. Hæc tamen regna esse nemo negaverit.*

M. Paul.
Str: in descript.
Bohem.

XII. *Vermelandiam* itidem cum omnibus *Dalensibus* provincias adeò angustas non esse constat: Et plures olim *Reges* sive *Regulos* fuisse, quàm historiæ recensent, non magnam habere dubium putamus. Nam & in *Smolandia*, seu *Australiori Gothiâ* *Reges* habitasse constans est incolarum successivè tradita relatio. Quod ipsum confirmat nobilissimi *Territorij*

torij in *Verendiâ* nominis impositio,
â *Regum mansionibus* *Rongaharadi* di-
cti. Ubi etiamnum in pago *Rurestad*/
q: *Curonis R. civitate*, vulgò vocant *Rå*
restad; domus lapideæ rudera *regia*
scz. monstrantur. In medio a. vi-
co excelsus lapis runicis refertus li-
teris adhuc conspicitur. Cujus ta-
men scriptura cœli injurijs & edaci-
rerum tempore ità oblitterata est, ut
amplius legi non possit. Nec lon-
gè in eodem territorio pagus *Ingels*
stadi; q: *Ingelli civitas* in loco amœ-
nissimo distat; Juxta quem *tumuli*
Upsalensibus haud absimiles visuntur.
Undè & hic *Reges* habitasse haud ab-
sonum. Cur igitur omnia, quano-
stra tempestati minus congruunt, vanita-
tis & falsitatis mox insimulanda?

XIII. Tandem *Imperium Sveca-*
num ex duobus regnis *Gothico* scz. ac
Svetico, præter *Historicos*, ll. etiam
nostræ coaluisse attestantur. Cujus
limites iidem semper non fuere.

Rong. B.
L. L. c. 1.

Me-

*Meridiem versus terminos in freto
 Drefund habuisse ut naturæ ac situi
 locorum congruum, ita etiam ex hi-
 storijs clarissimum est. Nam Amun-
 dus Rex Sveciæ, qui undecimo à virginis
 partu seculo regnavit, primus Scaniam
 à Sveciâ separari permisit, undè &
 propter ignaviam Vilis seu Slemme
 cognominatur, quod modestissi-
 mus etiam & ab omni affectu alie-
 nus noster Historicus Ol. Pet. contesta-
 tur. Et Valdemarum Daniæ R. eluso
 Rege Magno Smeek/ qui & indè con-
 tumeliosum Blanditi cognomen
 traxit, Scaniam Danis fraudibus scz. do-
 lisq; asseruisse Jonas Koldingensis ipse Da-
 nus, in descriptione Valdemari non
 diffitetur. Et ex firmissimis Diplo-
 matibus à Ioh. Mag. & Messen. citatis
 res est manifesta. Ad Occidentem
 fines jugiter fuere juga montium Nor-
 vagicorum Siellryggen.*

Joh. M. lib.
 21. cap. 2.
 Messen. re-
 torf. c. 15.

Orientem versus partim mare Bal-
 thicum, partim Russia & Livonia; quæ
 tamen jam post diuturnas contenti-
 ones

ones & gravissima bella *Svecia* soli
 paret. Omni namq; prætensiononi
 in *Livoniam* Magnus Moschovi-
 tarum Dux suo successorum & Ma-
 gni Ducat^o nomine, intercedente
Crucis osculo, an. 1617. renunciavit. Et
 potentiss. R. Poloniæ unà cum ordi-
 nib⁹ paritèr an. 1635. Svec. possessioni
 eam reliquit. Quos constatiæ & fidei
 nomine celebrari omnemq; perfidi-
 am averfari orbi notum est. Ter-
 minos etiam *Imperij Svecici* ultra di-
 tionem *Kexholmensem* in perpetuum
 protendendos vigore literarum
 Mag. Ducis Basilij Iwanowitz
 Sereniss. R. Carolo IX. A. 1609.
 propter summa Svecorum in Moschovitas
 merita datarum, & confirmationis mo-
 derni M. Ducis Michaelis Fæderovitz
 GUSTAVO MAGNO factæ, toti jam
 mundo innotuit. Ad aquilonem
 ipse *Oceanus* seu mare glaciale *Lappis*
 nostris conterminum est.

Pact. in-
 duc. con-
 cluf. 6.
 1635. & 1629.

Pacific.
 Moscov.
 1617. p. II.
 & 12.

XIV. Intra hosce limites, qui à mari Balthico secus Smolandiam, Vestrogothiam, Vermelandiam, Daliam, Lapponiam, Cajaniam, Savolaxiam, Rexholmensem ditionem, Ingriam, Livoniã & rursus per mare Venedicum in Sueciam ultra 1000. miliaria Gothica in circuitu sese extendunt; varij Principatus, Ducatus, Comitatus & Dominatus comprehenduntur. Qui immediatè coronæ subijciuntur in *Matriculâ* & *Cœnaculo Regni* annotati sunt; quos etiam *Messenius* & *Paulinus* recensent. Omnes autem *Principatus* & *Ducatus* immediatè jam *Reg: M. ti* subsunt, dum *Principes hereditarij* nulli habeantur. *Comitatus* mediati tres sunt *Visingburgensis*, *Rasborgensis* & *Leckœensis*; qui coronæ quidem & *S. R. M. ti* subiecti manent, suos tamen mediatos habent *Dominos* & *Comites*. Ità & *Baronatus* mediatè cum reliquorum *Nobilium* subditis coronæ subijciuntur; *Dominiq; S. R. M. ti* & re-

Messen.
Spec. c. 7.
Paul. hist.
lib. 1. c. 16.

gno

gno militare tenentur, & in Comitibus suorum colonorum nomine respondent. Reliquorum verò rusticorum prædia, *Erone och Skattegodz* / immediatè coronæ subsunt.

Spec. Mess.
cap. 7.

XV. *Civitates regni* sunt etiam complures, quarum nomenclaturam itidem apud Paulin; & Messenium videsis, ultra quinquaginta. Quarum quædam Metropoles vel simpliciter; ut *Holmia* totius regni, quæ *sedem regiam*, quæ *negociationes*, quæ *Dicafterium*, imò & quoad situm, quia in *meditullio* ferè imperij & loco naturâ munitissimo fundata est: vel *secundum quid*; ità respectu Sveciæ strictè sic dictæ, ut & antiquitatis ratione & religionis ac sacri ordinis intuitu solenniumq; coronationis *Metropolis est Upsalia*. Magni hujus Ducatus *Aboâ*. Gothici regni *metropolis* quoad *Iustitiæ* administrationem & medium situm *Iunecopiâ*. Quæ securitatem & commercia

Smo.

Smolandia Calmaria. Eâdemq; rati-
one *Gotheburgum Westrogothiæ*, cujus
olim regiam fuisse *Scaras* historici
testantur, &c. Sic quoq; *Livonia*
Riga, & *Esthonia Revalia metropoles*
habentur. Omnes autem civitates
immediatè corona & S. R. M. ti parent
& subijciuntur in nostrâ patriâ, ut a-
lij Domino intermedio non obli-
gentur, prout civitates *municipales* si-
ve *provinciales in Germaniâ*, ut eorum
Politici docent.

Alth. t. 6.
Schonb.
l. 5, cap. 41.

XVI. Distingvuntur etiam
Civitates in Maritimas, *Städ-
der* / quibus cum exteris nauticas imme-
diatè exercere negociationes convenit;
quales sunt, *Holmia, Calmaria, Ny-
lööf, Gotheburgum, Sudercopia, Norco-
pia, Nycopia, Vesterovvikium, Telge, Ge-
valia*, hæc *Aboa, Viburgum, Riga, &c.*
Et Campestris, *Landeller* & *ps-
städer* / quæ à mari remotiores sunt & na-
vigationibus ad externos non utuntur; ut
*Upsalia, Arosia, Arbogia, Linco-
pia,*

Köphard.
ordin: upf.
1617, p. 8.

pia, Skeningia, Scaræ, *Wexionia* &c.

Joh. Mess:
Spec: c. 23.

XVII. *Arces quoq; Imperij Svec:*

Joh. Mess: maximâ ex parte recenset fortissimas, quæ ut plurimum ad regni limites pro arcendo hoste habentur; quamvis & in ipso regno non desint loca munitione simul & amœnitate conspicua. Tot v. quot

Ol. M. lib. 2
& 4. &c.

in regionibus planioribus non requiruntur; Nam sylvæ, rupes, paludes & montes nostratibus propugnacula sunt, ex quibus hosti adventanti non minor quàm ex muris & mœnibus clades adferri potest; Prout experientia cum *Olaom.* testatur. *Arces* hæc, *provincias*, ut & alia *Coronæ bona immobilia* abalienare jure non licet.

Hong. B.
L. L. c. 2.
P. 1.

XVIII. *Bonis immobilibus* accensentur non modò *provincia territoria*, *pagi* & *fundi*, sed & *sylvæ*, *campi regij venatici* & *reservati*, *flumina cum molen- dinis publicis*, unde vectigalia ad coronam per directum redeunt; *piscationes* & *fodinæ metallicæ coronæ*; quæ omnia ad publicam utilitatem per *officiales ad id deputatos*, quorum in *disp. 4.* mentio facta, diriguntur.

e. 37. Hong
B. L. L.

&

Speeula
Messen.
cap. 32.

& collocantur. Curia, forum venale & Iudiciale, Theatra, conviviorum & conventuum loca &c. ; universitatum sunt; Quorum usus omnibus patet, proprietas vero coronæ seu regno competit.

XIX. Atq; ista fuere bona regni *Immobilia*; *Mobilia sunt Instrumenta publica & Reditus*. Illa sunt vel *Necessaria*, quæ necessitati inserviunt, ut *annales, acceptorum & expensarum libri, actus judicarij, protocolla, acceptilationes &c.* vel *Usualia*, quæ rebus commodè expediendis usui sunt; ut *naves, currus, arma*; vel *Voluptuaria*, quæ delectationi inserviunt, ut *Tapetes, aulea, aliaq; res artificiales & exotica*. *Reditus sunt bona reip. mobilia* quæ ex rebus alijs vel personis in communes usus justo tempore percipiuntur. De hisce singulis paulò fusius.

V Verdēh;
polit. synopt. l. 2.
cap. 13.

XX. *Necessaria Instrumenta*, alia in *Archivo*, alia in *Camerâ* asser-

vantur.. Archivum publicum regni, aliàs *Grammatophylacium* dici potest, est locus in quo publica regni documenta, *annales, Historia rerum gestarum, libri legum, statutorum, privilegiorum & jurium regni, jura item ac privilegia civitatum & provinciarum* custodiuntur. Nobis Cancellaria Cancellij vocatur, quæ in *Antiquam*, ubi antiquitates & monumenta literaria vetustiora asservantur, & *Novam* dividitur. Utraq; vero in *regiâ Holmensi*, velut *Archivum Germanorum Moguntia*, apud *Electorem Cancellarium* receptari solet. Scien-

Exod. 17, v. 14, & cap. 34. vers. 27. dum vero aliam esse Cancellariam Regni, aliã ipsius Regis sive Regi-
Deut. 27. vers. 8. næ; unde & duplex *Cancellarius*, alius
1. Sam. 10 v. 25, & c. Regni, alius *aulicus* existit. Eiusmodi autem monumenta haberi necessarium esse ex sacris literis & divino iussu probari potest. Huc etiam Regni *bibliotheca* referri queunt.

XXI. Camera; scz. *Ratio- num, Râfne Cammar* (Nam Concilij
Ca-

Camera Nãd (Cammãr dicitur) est locus ubi acceptorum & expensorum libri, rationes & reditus annotati servantur. Quæ etiam ad cognoscendum vires & iniquitates tollendas omninò necessaria est. Et in eodem Samuelis jure hujusmodi comprehensa fuisse patet.

cit. Sam.
10. & 8. & c.

XXII. Usualia in portibus & Armamentarijs stabulantur. Armamentarium appellari consuevit, ubi arma Regni seu reip. cum ad offendendum, tum ad defendendum comparata, militibus & equitibus aut nautis armandis aptata continentur. Quale instructissimum etiam Holmiæ videre est: quamvis & in alijs regni arcibus apta & sufficiens armorum copia, ut in hac Aboënsi & c. non desit. Boterus Venetianum Arsenalè tanquam Synopsis & ideam omnis generis armorum proponit. Neq; in Germaniâ, Galliâ Belgioq; armamentaria instructissima desiderantur. Hæc

Bot. pol.
illust. lib. 7.
cap. 1.

¶ *Paralip.* quoq; necessaria esse. & ex sacris & pi-
c. 8. v. 17. orum regum diligenti curâ constat.
2. 18. *Subditis autem promiscuum armorum,*
ibid. c. 11. usum prohibendum esse ex cap. 7. & ult.
vers. 12. Saramat medhy wadhya & & conclu-
c. 17. & c. dimus.

XXIII.

Voluptuaria instru-

menta, quæ ad delectationem & non
nihil etiam ad auctoritatem faci-
unt, sunt res artificiosæ vel aliàs rara,
sive in bello capta, sive honorarij & dona-
rij loco missa, sive à majoribus relicta, pe-
culiari etiam loco custoditæ, qui
vulgo Konstkammar dicitur. Qualis
Holmie & in regia Swartsiö/ visita-
ri solet.

XXIV.

Hæc de Instrumentis. Re-

ditus sunt bona regni mobilia ex rebus
aut personis legitimè percepta.
Quæ vel in publicos usus mox collo-
cantur, vel Granarijs seu Promptuarijs,
Prowianthis / inferuntur; vel in
Ærario, Skattkammar och Rantersjn /
asservantur; & aut ex Tributis aut ex
vecti-

Tales En-
chusæ in
domo Pa-
ludani. vi-
dere est.

Vestigalibus conficiuntur. *Granarium* est horreum publicum, ubi annona ad incidentes regni necessitates sive belli sive caritatis asservatur. Qualia ad singulas ferme regni Ecclesias, ubi decimæ regiae colliguntur, maximè verò in munitis civitatibus & arcibus habemus. Ejusmo-

di etiã curam necessariam esse præter jugem experientiam *Exempla sanctorum Iosephi, Salomonis, Iosaphat, Hiskia, &c.* demonstrant. *Notandum*

verò annonam in genere significare quicquid ad humana vitæ sustentationem utile aut necessarium esse potest; utpote, frumentum, panis, vinum, cervisia, caro, vestes, &c. Estq; horum omnium diligens habenda ratio, ne vel incuriã vel luxuriã perdantur, vel malis faneratorum artibus annona flagelletur illicitave monopolia exerceantur, quæ regna & resp. in extremam miseriam coniecere solent.

XXV. *Ærarium, aliàs Fiscus,* & locus in quo thesaurus regni sive publica pecunia, quocunq; titulo acquisita, reponitur & conservatur.

Hæc nervus rerum gerendarum, hæc

Gen. c. 14.
Althus; d.
c. 17. 1. 8.

Æraria variorum.
pop. vid.
ap. Tholoz: i. 3. c. 3.

Alth. c. 17.

Tacit.
4. Hist.

illustre reip. munimentum non immerito à politicis dicitur. Et Notum illud Taciti: *neq; quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendijs, neq; stipendia sine tributis haberi possunt.* Cui & experientia suffragatur. Tributa enim cum regibus nata esse ex i. Sam. 8. alijsq; scripturæ locis concludi potest.

XXVI. *Tributum* est publicus^a redditus, vel à tribu, quod olim per tribus collatum, vel à tribuendo dictus, quem subditi ex suis possessionibus in usum reip. juxta leges, consuetudines & comitialia decreta, conferunt. Unde & *collatio* interdum nuncupatur.

Tributa ejusmodi ex rebus immobilibus & mobilibus conferre tenentur omnes, maxime fundos possidentes, qui in rep. degunt, & aliquo modo subditi sunt, nisi specialiter eximantur. Neq; his ullo modo tergiversari fas est, cum & ipse *Salvator Christus*

Mat. c. 17
v. 27.

Stus

stus licet nemini subiectus, tributum, subiectionis tesseram, solvere non recusarit. Necessitate autem urgente, nulla privilegia excusant: Ceu ex variis comitialibus Decretis hac tempestate inclarescit. Ubi tamen privilegiis donati hanc semper exceptione seu protectione utuntur: Ne onera ista in tali casu sponte suscepta olim in prauiudicium vergant.

XXVII. *Tributa sunt vel Ordinaria vel Extraordinaria, eaq; vel annua; åhrlige ranta eller vthlagor/ quæ annuatim in certis rebus & certa materiâ penduntur, qualis jugatio; id est tributum pro iugerum magnitudine injunctum certa pecunia, portio frugum, butyri, lardi, lanae, pecus &c. Sed & hæc tributa pro locorum ratione variant. Ex Smolandia annum tributum in butyro cum primis antiquitus penditur; Smör Rantan/dictum. Ex Uplandia &c. in frumento, quod affrad dicitur. Loca maritima pisces; montani metalla: Lappones preciosas pelles erogant, & sic de cæteris pro terrarum & loci fertilitate: vel*

Non annua Qwisse Rantan/ qualis col-

latio seu *contributio regia* in specie sic dicta; Kongsgården; *Vectura*; *Winn* terförflen & *Nitri auxilium*; *Saltpeter*shjelpen. *Hæc ordinaria sunt & inter regni reditus jam diu velata.* Censurus in civitatibus quomodo habendus jure expressum est. Conf. *Stånds* *ordnant*: p. 15. & c.

Kong. B.
L. L. cap.
5. P. 4.

c. 19. & 20.
Kong. B.
Et. L.

c. 4. Kong
B. L. L.
artic. 6.

XXVIII. *Extraordinaria tributa, aliàs collectæ, sunt quæ urgente, majori aliquâ necessitate extra ordinem, ordinum tamen consensu injunguntur: qualis. 1. Capitatio, Mantals penningar/ quæ est pecuniola in capita, sine possessionum vel divitiarum respectu constituta. 2. Hospitatio cum angarijs, id est, *Gestning och Skius färder/ cum militibus alijsve regijs ministris hospitium & vectura sine precij refusione præbetur. 3. Accisæ, furnisq; pistorijs & cervixæ coctoribus, Lanisq; impositæ collectæ. Quæ omnia horum temporum necessitas exigit: prout ex*
cit.*

De hisce
videantur

cit. artic. 6. c. 4. *Romung. Balcl. L. E.*
manifestum est. Unde & patet de-
cisio quæstionis de quâ *Icti Rom.* val-
dè inter se digladiantur; Nimirum
R. M. ti integrum esse pro elocandis & do-
tandis filiabus subditis collectas imponere:
quæ etiã inter tributa Extraordina-
ria numerandæ.

XXIX. De tributis monita
quædam hic delibanda videntur,
quæ & in nostrâ patriâ observantur.
1. Ex merâ avaritiâ onera non esse
imponenda; Ne illud *Taciti* locum
inveniat: *Videre est multos Principes*
pecunijs acerbè conquirendis, plus invidia
sibi, quam irium addidisse. Quin-
imò Magistratui tum idem quod *Actæ-*
oni contingit, nimirum ut à proprijs
canibus dilaceretur. Et tributum
non necessarium sæpè facit ut necessa-
rium præstari nequeat. 2. Caven-
dum etiã ne sordida indicantur tri-
buta & ex quavis causâ lucrum odo-
retur magistratus, quod tanto cul-
mine

ordinant:
S. Reg. Mai.

Tacit. 3.
Hist.

mine indignum, prout *Vespasianus*
lotio, *Margareta Danica* caudis pecu-
dum, tributa irrogavere. 3. In
exigendis tributis advertendum, ut
justa & uniformis fiat contributio, ne
dum alij ob privatam favorem sub-
levantur, alij privato & iniquo odio
nimis premantur; *Sed omnes cives*
eâdem equitate contineantur. 4. Cum
primis duæ certissimæ offensionum
causæ perpetuò vitandæ; *Violen-*
tia & Impositura. *Illæ*, cum per
partes & diversis temporibus solve-
re licet, avertitur: Quod etiam illis
& decreta apud nos volunt. *Hæc*,
cum *Apoche* solventibus bona fide
& sine fraude præstantur. 5. No-
vis autem subditis vel sociis moderatissima iniun-
gantur tributa, & potius relaxentur quam exag-
gerentur; ne defectiioni occasio præbeatur. Quod
sæpius evenisse Atheniensium, Cappadocum, ali-
orumq; historia testantur. Atq; ista de
tributis nunc dicta sufficiant.

Conf. De-
cret: comit:
Holmi 1622
p. 3.

Novel, 128.

VVerdenh.

XXX.

VVectigalia verò potius
quam

quàm tributa multiplicare politici
svadent. Sunt autem *vectigalia* et-
iam publici reditus ex mercibus aut
eò spectantibus rebus percepti. *Quæ*
cum & portus & venditionis & circum-
vectionis gratiâ exigi soleant, non in ma-
ri tantum & fluminibus, sed & terra at-
q; urbibus: in Nautica & Vecto-
ria dividi possunt. Sunt præterea
vectigalium alia Majora, Storetullen/
quæ ex mercibus exoticis in portu-
bus solvuntur: alia Minora, Lille tullen
in portis civitatum & Nundinis sol-
venda. Penduntur etiam in regni
finibus ex mercibus evehendis ve-
ctoria, Grånse tullen dicta. Sunt au-
tem vectigalia eiusmodi optimâ ratione instituta,
cum propter usum viæ publicæ & securum iter;
tum ad indigentiam patriæ sublevandam.

XXXI. *Honestissimum omnium*
vectigal habetur, quod ijs rebus imponi-
tur quæ ad luxum, delitias & pompam
spectant moresq; corrumpunt. Quæ v.
magis necessaria, libera sunt. Sicut
salem civitatibus patriæ sine ejusmodi
onere

pol.Synop.
lib.2. c. 23.
p. 29.
Bodin. l. r.
de rep. c. 2.

onere inferre & quovis modo distrahere
conceditur. Sin ex cæteris vectigalia legitimè pendantur; dubium non est, quin cessantibus hisce belli procellis, ordinaria tributa & collectæ etiam ex parte cessare possint. Vectigalia autem quæ semper in numeratâ pecuniâ consistere solent; ærarium maximè promovent; tenuiores autem qui minus frequentia exercent mercimonia, minus etiam gravantur.

XXXII. Quod si vectigal justè non pendatur pœna esse solet, ut *merces in commissum cadat*, id est, ut res amittatur ejusq; dominium fisco acquiratur & committatur. De jure verò *Saxonico* pœna commissi in quadruplum vectigal est commutata. Sed quid in nostra patriâ hæc de re specialiter constitutum sit, vectigalium ordinantiæ docent. Vide *Zulo ordningen* publicerat AN. 1622. Quæ cum novâ taxatione repetita est ANNO 1638.

Cit. Decret.
comiti:
1622.
punct. 4.

XXXIII. Vectigalia ejusmodi certo precio elocare, *Sörarendera*/uti multipliciter ex *jure Rom.* licitum, et receptum *Schonbornerus* confirmat: Ita etiam in variis *comitialibus decretis* apud nos, utpote de AN. 1629. de vectigalibus molendin: ubi mentionem *Arendatorum*, sicut & alibi, fieri constat. Hæc tamen addi solet cautio: *Ne expilatoribus, sceneratoribus & iniquis hominibus locentur.* Hinc enim duplex malum oriri potest & solet: 1. Subditorum paupertas & oppressio, dum injustè ad incitas rediguntur & prædonum q: manibus regnum spoliatur. 2. *Maxima* Magistratus apud subditos invidia: qui delicta *Exactorum* ipsi adscribere *Magistratui* perperam consueverunt.

XXXIV. Atq; ista de Reditibus propriè dictis: sunt & alia quædam reip. bona reditus minus propriè dicta, qualia, 1. *Thesaurus*, qui hic est

Schonbor.
lib. 4. pol.
cap. 26.

Loccen:
Exerc. iur.
disp. 6. Th.
31. & 32.

vetus de possessio pecuniæ, cujus memoria non extat: Quatenus ad fiscum spectat de *jure Rom.* vide post alios consultiss. præcept. D. *Loccen. ii.*
In Legisterio quodam manu scripto antiquo, hanc Svecic: decisionem reperi. Thesauri inventi tertia pars Regi, tertia Domino fundi, tertia inventori cedit, si modò legitime intimaverit. Aliàs dimidium Regi; alterumq; dimidium Domino fundi tribuetur. In publico inventus pro duabus Regi, pro tertiâ inventori cedit, &c.

Althus: c. 17
2. 16, & seq.

XXXV. 2. *Bona publicata*, quæ ob delictum alicujus in fiscum redacta & ad regni usus conversa sunt; aliàs bona damnatorum dicuntur. Huc mulctæ, *Ronungsböter* / pertinet.

Urf. B.
L. 2. c. 23.

3. *Bona caduca & vacantia*, qualia *Dana Urff.* Quod si moriatur qui heredem in regno non habeat; neq; infra annum & noctem venerit; *Bona Corona seu regi cedent.* Et hoc ipsum quoq; legibus *Gallorum* (imò *Britannorum ac Turcarum*) servari, ut demortui peregrini, nisi liberos in ipsâ Gallia legitimos susceperit, bona fisco vindicentur, testis est *Bodinus.*

Bod. Meth.
Hist. cap. 6.

4. *Ereptitia* quæ indignis heredibus
ob delictum eripiuntur. 5. *Bona fi-*
scalia, utpote ipsa regni dos, de quâ su-
pra. 6. *Bona bello acquisita, ut præda*
& spolia. Quæ quatenus regi ac-
quirantur, vide jus militare. 7. Et
demùm ex amicorum confœdera-
torum, largitionibus aut legatis ac-
cepta. Qualia Rom. reip. olim
haud parum iuverunt & subleva-
runt. Quæ omnia uti & alia quo-
vis justo titulo acquisita, in utilita-
tem & publica emolumenta collo-
canda veniunt.

Jus milit.
Svetic.
p. 101.

Faxit omnis *Boni* dator & au-
thor, ut *Bona* reip. indies cre-
scant & augeantur, mala
verò ac damna evane-
scant & avertantur!

Amen.





COROLLARIA.

I.

EX Gothis nos oriundos esse
minimè probrosum.

Gothicam gentem uti antehàc, argumen-
tis Justini & Taciti, probabilibus quidem & Dia-
lecticis, non planè tamen deridendis, ex hisce
borealibus locis prodiisse maximorum præsertim
Historicorum autoritate nisi adstruximus; Ità
etiamnum ratione ex lingvæ genio petità, unà
cum ll.b. nostris asserere non dubitamus. Nam
inter lingvas eiusdem fontis & originis ea procul
dubio quæ est simplicior, est etiam originalior,
& fonti vicinior: Imò simplicissima fons
ipsum existit. Ità *Italica lingua ad La-
tinam propius quàm Gallica accedit; &
ea etiam simpliciori utitur scripturâ &
pronunciatione quàm hæc, prout vel levi-
tèr in hisce versatis constat.* Sic quoq; Ger-
manicam nostrati linguâ cultiorem fortè ac sub-
tiliorem esse demus; & in superiori Germaniâ,
Misniâ & Austriâ, elegantius ac tersius quam in
inferiori Saxoniâ, Pomeraniâ aut VVestphaliâ,
etiam vulgus loqui constans est opinio: Ab his
tamen ad illos linguam dimanasse non videtur
magno perè dubitandum. Nam & qui vel hoc
seculo

seculo, teste Busbequio, Tauricam Chersonesum Auger:
 incolunt ex antiquis Gothis originem sibi arro- Busbeq:
 gantes, in linguâ nobiscum magis quàm cum ipsis epist: 4.
 Germanis convenire ex patricis; ab eodem allega-
 tis, vocibus manifestum est. Nonne enim Broe,
 ut ille scribit, nobis Brō panis est; Oeghene, &
 ghon/oculi; Boga, Boga/ sicuti multæ voces
 apud nos in a terminantur; Miera, Myra/ For-
 mica, Salt, Salt/Hus, & ws. Miicka; Miecta/
 ensis, merè Fennicum est. Ità quoq; numerandi
 ratio maximâ ex parte merè Sveco-Gothica, ex
 parte etiã Fennica est; ut Sada; Fenn. Sata/
 roo, significat. Vix enim credibile, imò nun-
 quam probabile tantam multitudinem ex istis lo-
 cis in hæc penetrasse, ut linguam secum novam
 adducerent & incolarum immutarent. Vel quis
 inquam fando aut legendo percepit vel per so-
 mnium audivit emigrationes populorum ex Ger-
 mania vel australioribus locis in has hyperboreas
 regiones factas esse. Contrarium verò in con-
 fesso est. Quod autem mercatores nonnulli &
 artifices huc veniant, tantam profectò multitudi-
 nem, quantâ olim vaginam hanc gentium & po-
 pulorum oneratam fuisse notum, efficere potuisse
 minime est vero simile. Neq; isti advenæ ad ter-
 ram huius cultum ullatenus se applicare aut pos-
 sunt aut volunt; quod experientia loquitur.
Credimus itaq; Gothos hinc oriundos &
nos ex ipsis, ne antiquitate invitâ, ut
elegantè Heinsius loquitur, alios
nescio quos substituamus. Verum

Heinsius
 panegyri

enimverò nō defunt etiam q̄ probro-
sum hoc nobis existimant, ex feroci
gente, quæ alios oppreſſerit & ini-
qua bella exercuerit, genus ducere.
Resp. breviter: 1. Posito dedecus
aliquod sequi, non tamen concessio,
veritatem ideò *Historico* haud sup-
plantandam. Si quis ex impio pa-
tre prognatus: sit fur, sit latro, attamen
pater est, id contra veritatem,
diffiteri minimè fas erit. 2. Nec di-
ci potest iniqua semper gessisse bella
Gothos; partim enim *Impp. bus* me-
ruerunt, partim pro finibus arma
sumpserunt; Cùm vel innocuus
transitus, vel pacifica & quieta co-
habitatio à vicinis denegabantur,
quæ justæ esse belli causæ solent, uti
ex Israëlitis patet. 3. *Filius non porta-
bit iniquitatem patris; Et Christo Sal-
vatori ex impiâ & dura cervicis gente
originem habuisse nusquam crimini da-
tur:* Nec nobis igitur quod *Gothos*
majores agnoscamus, vitio verten-
dam erit.

II. An Imperium Svecicum
dici possit? Aff.

Quanquam ubi de re constat in
verbis faciliores esse oporteat; ideo-
que non multum intersit siue *regnum*
siue *imperium* dicatur; sic enim et-
iam florens *Imp. Rom.* Das Römische
Reich appellatum fuit. Videtur
tamen *status ex pluribus amplissimis Re-*
gnis conflatus, q: sublimius quid *Impe-*
rium potius quàm *Regnum*, quod
verè *Regna* sint, dici posse. Quod
tamen sine alicuius præiudicio & sine novandi
studio, uti dictum, ita & acceptum volumus.

III. An Fenni potius quàm
Finni dicendum ac scriben-
dum?

De *Etymo* hujus *magni Ducatus*
solicite laborarunt & olim & nupèr
Viri magni & graves. Fennoniam,
ut terram hostilem à *Fiend*/ minimè
dicendam arguunt: In quam sen-
tentiam & nos ultrò concedimus.

Sed potius à *Fin*/i. e. *bonus atq; fertilis*.
Verùm siquidem hic coniecturæ locus, etiam no-
stram adferre licebit, & quidem forte plus quàm
coniecturam. Quoad priorem senten-
tiam; si à fertilitate & bonitate ter-
ræ *Finlandia* esset nominanda;
tùm certè *Svecia* aut *Livonia* potius
Finlandia esset. Quamvis enim *Dei*
benignitate solum hic minimè sit ste-
rile, multasq; hujus terræ commodi-
tates experiamur: Respectivè ta-
men tantam tribuere fertilitatem,
omnium experientiam habens, vix
poterit. Præterea etiam hæc de-
nominatio *Finne* solet ignominiosa
esse genti & in ludibrium verti, cum
etiam faciei maculæ ac pustulæ *Sve-*
cis simul & *Germanis* ita vociten-
tur. *Commodiorem itaq; & veriore,*
salvâ aliorum authoritate, venabi-
mur. Sit igitur nostræ opinionis
fundamentum: I. *Nomen quod pri-*
scis temporibus à gravissimis Historicis
huic regioni & genti fuit attribu-
tum, id etiam adhuc non immeritò
reti-

retinet: Sed regio *Plinio Fenningia*,
 & *Fennoniam*; *populus, Tacito Fenni*
 ante multa secula dicti; meritò ita-
 què id retinent. Si autem ratio
 impositionis quærat; fatendum
 non omnium quæ à majoribus constituta
 sunt, rationem reddi posse; conjecturæ
 autem variant. *Einningiam* q: sin-
 gularem *Zieglerus* dici putat: quod
 limitibus fortè singularitè, *Enstlyt*
 per naturam *sinu Venedico* & *Bothnico*
 sit separata. 2. Nostrâ sententiâ;
Fennoniam sive *Fenningia* & olim dicta
 & etiamnum rectius dicenda: atq;
 indè sinus *Venedicus*; transmutatio-
 ne literarum V. & F. quod *Germanis*
 præsertim familiare est, nomen ha-
 bet. Nam etiamnum *Incolæ Car-*
relia populares se invicem *Benno*
 appellant: *Sinâ* armis *Benno*. Nos
 itaq; *Fennos* quàm *Finnos* scribere &
 dicere magis amamus. Quod etiam
 sine ullius offensione fieri speramus.

Jacob.
 Zieglerus,
 Cluver.
 Geogr.
 R. Paul.
 l. 1. c. 26.
 Baaz.

IV. An bona Imperij injustè

C 4

abla-

ablata sint repetenda: & li-
mites antiqui asserendi?

De Imp. Rom. vide Reink. de
reg. sec. & cum eo D. Schütz. exer-
cit: Disp. 1. *Quoad nostrum; recupera-
tionem jura si non injungere, concedere
omnino videntur.*

e. 2. R. B.
L. L.

V. Fines imperij dilatare an
licitum & honestum? Et u-
trum majus sit amplificare an
tueri? vid. Boter. pol. ill. l. i. c. 5.

VI. An Ecclesiastica bona ul-
lo casu abalienari possint?
Aff. D.

Reinking.
de reg. eccl.

Scz. 1. de ijs quæ *secundario* &
mediate tantum ad cultum divinum
deputata. 2. *Ob pietatis causas*, ut ca-
ptivorum redemptionem, paupe-
rum sustentationem, aut fidelium
sepulturam. 3. *Necessitatis*, ut æris
alieni solutionem, &c. vid. Schonb.
lib. 4. cap. 2.

VII. An ex Ecclesiasticis personis reditus petendi?

R. Ubi necessitas exigit *Clericatus* id non modò tolerabilius, sed & utilius esse affirmat *Boterus l. 7. c. 6.* & nostra patria consentit. Comprobat *Gallia*, ubi *Clerici bellicos sumptus ut plurimum sustinuerunt* & plusquam vices millies ad bellum Regi suppeditarunt. Similitèr in *Hispaniâ* factum est, ubi *Ecclesiastici aliquot annos sexaginta triremes instructissimas suis aluerunt sumptibus; sumptusq; duplo majores in alijs fecere, eodem Botero teste.*

VIII. Civitates habere munitas an omninò inutile? Neg.

IX. Utrum satius habere divites subditos an locuples ærarium?

Nos cum *Diocletiano* pro subditis responderimus: *Melius publicæ*

Ex Eutrop.
Blicholce-
rus.

*publicas opes à privatis teneri, quam intra
unum claustrum conservari & custodiri.*

X. Si socius rem portet com-
munem aut famulus mercem
Domini, & vectigal non
solvat; An etiam alterius
pars vel res Domini tota in
commissum cadat?

I. Saneimus
22. c. de
pena.

R. Discrepanthic *lcti Rom. Æ-*
quum autem videtur, *dolum cuiq; su-*
um nocere & delicta suas tenere authores.

XI. Mandatum de solvendis
decimis judiciale potius quã
morale vel ceremoniale esse
statuimus. Wurmser. Exercit.
6. Th. 19.

XII. Regi Daniæ Balthici ma-
ris Dominium minimè com-
petit?


Soldat
Svedois
p. 6.

Neq; enim 1. ille solus à piratis hoc tutum
ac liberum præstat; (Hoc Svæci anno 1628. fecere)
Neq; 2. Accolarum omnium vel ut subditorum
vel

vel aliàs Defensor existit. Neq; 3. Eius est omnes
in hoc mari delinquentes non secus atq; in suo Besold. disc.
territorio capere & punire. Neq; 4. Huc na- fert. Jurid.
vigare volentes planè prohibere & impedire. 5. pol. de iur.
Neq; omnibus navigantibus vectigalia imponere. & div. rer.

Quætamen vera Dominiij maris ef-
fecta à *Politicis* censentur. Ea verò

Dano uni & soli non attribui pos-
se, experientia vel nobis ta-
centibus evincit.



*Doctrinâ, Humanitate, vitæ morumq;
integritate conspicuo juveni,*

Dn.. JOHANNI CUR-
NOVIO, Artium humanio-
rum cultori perindustrio, amico
suo per dilecto, de *Bonis* reipub.
doctè disputanti.

I*Ngenij vires clari sub præsidis
umbra,*

*Tentas, CURNOVI delici-
um Sophiæ,*

Re-

Regni dum patrij Bona quæ sint
publica monstras
Mirâ judicij dexteritate tui.
Scilicet hoc monstras ausu dum pul-
pita forti
Scandis, tela tibi non nocitura
legens.
Auspice sic Christo captum perte-
xere filium
Si pergas, charæ lumen eris pa-
tria.

Amoris & honoris ergo
apposuit

NICOLAUS LAUR:
NYCOP. Log. & Poës. P.P.
nec non p. t. Fac. Phil.
Decanus.

VENATOR lecto quamvis requie-
scat in imo,
Mens tamen ad tricas & sua te-
squa redit:

Nau.

Nautæ mollestis cum ventis prælia obire
Somnia sunt; causas caudidicoq; agere:
Judicibus lites occurrunt; Induperator.
Fortis mente agitât sæpè trophæa sua.
Sic tibi CURNONI, moris laudabilis esse,
Civileis chartas volvere ritè, solet:
Id de *Theauris Fiscis* discursus optimus?
Et thesaurizans, comprobât ecce satis?
Præstantem hinc patriæ civem concludo fu-
turum.

Te, JANNES, certò. Candide amice vale!

Amicitia E. dabat

E NE VALDUS SVENONIUS.



*C*astalides Musæ cinctæ parnaßide lauro,
Fundite nunc docto fluitantia carmina
JANNI,
Fructiferis quoniam vestris sudavit in
hortis;
Differit egregiè quæ sint bona publica
Regni.

AST

*Actu JOHANNES, musarum fide
satelles,
Sic pergas porro, Musis incumbere doctis;
Tū DEUS Omnipotens sic præmia digna
ministrat!*

Doctissimo Dn. Respondenti,
fratri & amico suo perdi-
lecto subjunxit

JOHANNES M. KETARMANNUS.



IGnes cur Hyperionis coruscus
Miramur? Rapidum sagax Araxim
Cur natura stupes? celebris Isthmi
Jactent compita qui velint, ego non.
Mens velox etiam meretur amplam
Laudem. Sic celere vehit te acumen.
CURN OVI ad juga Phocidos, quia acri
Disquiris studio incluti has opes, hos
Bonorum imperij recessus. Ergo
Successu meritos honoris alti
Capessis titulos. Sic opto, fiet.

Hæc, ut potuit, non ut debuit
ANDREAS A. ULSTADIUS
Bethn.



Immortale decus vel Marte vel Arte paratur,
Difficile ast simul est Martis & Artis opus.
Hoc spernens IANNES fastigia scandis honoris,
Montis parnaassi culmina celsa petis;
Præside sub magno dum sternens arte sagittas
Martem non Martis tute sed Artis agis.
Perge modo ut pergis claris incumbere captis,
Laudes, crede, tuas postera secla canent.

Ex animo suo necessario
dilectiss. gratulabun-
dus apposuit

BARTHOL. I. LACMANNUS.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

EX LIBRIS
Faint text, possibly a library or collection mark.

BARTHOLOMÆUS
Faint text, possibly a name or title.

Extremely faint and illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.